LAUDATIO FUNEBRIS,

VIRTUTI, MERITIS, ERUDITIONI

VIRI AMPLISSIMI

MAG. PETRI ELVII,

Mathematum Superiorum

PROFESSORIS,

IN

ACADEMIA UPSALIENSI

CELEBERRIMI,

CONSECRATA & RECITATA,

Maxima ac Illuſtri Audientium corona

Auditorium Guſtavianum Majus

frequentante d. 20. Maji, Anni cIↄ Iↄccxviii.

à

FABIANO TÖRNER.

UPSALIÆ,

Typis JOH. HENR. WERNER, S:æ R:æ M:tis & Upſ. Acad. Typographus, An. 1719.

FLORENTISSIMÆ

NATIONI

WESTMANNO-DALEKARLICÆ

MUSIS UPSALIENSIBUS

OB

MORUM ELEGANTIAM

ERUDITIONEM

AC

IN PRÆCEPTORES

PIETATEM

CARISSIMÆ.

CURATORES, SENIORES, JUNIORES, NATIONIS WESTMANNO-DALEKARLICÆ STUDIOSI.

Vestra pietate in Præceptorem, *Viri & Juvenes* Clarissimi Præstantissimiqve, luculentior alia vix esse potest: & is verus deniqve amor est, qui ne in morte quidem cessat. Scio, qua caritate, dum viveret, *Vos*, populares suos complexus sit beatus Professor ELVIUS, & quo amore vicissim *Vos* eum sitis prosecuti: Sed mortuum quoqve Illum *Vos* valde amare, spectabit ad illustria Vestræ Nationis exempla. Vi-

 delicet

delicet non illa ſunt tempora, quibus prodigis eſſe nobis licet rerum noſtrarum: *Vos* tamen usqve adeo in amando perſiſtitis, ut magnas, in tam carum nomen, factas impenſas ducatis parvi. Quia igitur voluiſtis, communi collata ſymbola, typis deſcriptam beatiſſimi Viri vitam, eam *Vobis*, Veſtræqve humanitati dico, ac tribuo: ſimulq; promitto, me officii & pietatis Veſtræ in amicum neceſſariumque communem, nunquam fore immemorem.

VESTRI

Studioſisſimus
FABIANUS TÖRNER.

RECTOR ACADEMIÆ UPSALIENSIS

JOHANNES Palmroot/

S.S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. ORDIN.

PATRONIS, PATRIBUS, CIVIBUSQVE ACADEMICIS

S. P. D.

IN *luctu atqve miseriis*, mortem ærumnarum requiem esse, *non cruciatum, cunctaque mortalium mala dissolvere, etiam Ethnicorum, cælestis veritatis luce destitutorum, sapiens sententia fuit. Quem temporales hæ miseriæ, calamitatesq; pressere acrius, cujus animum mœrores, ægritudinesqve mali seculi duriores afflixere, cujus vita tota molestiis, telisqve fortunæ acerbioribus obnoxia fuit, is inveniet heic requiem. Cui tempestas nimis fuit adversa, cuiqve eam ob causam necesse, in pelago ærumnarum sævo jactari, inter fluctus*

ejus horridiores collidi, deqve vita desperare, circumspiciat ille jucundissimam hanc requiem, ad quam, quo quis Dei nutu propius accesserit, quasi terram videre videbitur, in portum ex longa navigatione venturus. Cruciatus non est, sicut falso sibi persuadent, quorum animi desiderio terrenarum rerum, splendoreqve hujus vitæ vano capti, eam tanto impotentius expavescunt. Mortem enim omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? Illa vero bonis omnibus quies est, malorumque omnium dissolutio, post ætatem in fide sincera peractam, percipienda. Hoc litus illud opportunum excepturum est mentes recti conscias, innocentiam & vitæ sanctitatem præ se ferentes. Mors, eamque antecedentia omnis generis mala sunt pœna peccati, a summo Numine statuta, quam plene voluit sumtam a piis, in animæ, a corpore, solutione. Finem itaqve molestiarum ævi hujus mors dabit. Qui finis o-

mnium

mnium tunc est optimus, cum integra mente, certisqve sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit natura, dissolvit. Ad hoc litus, cujus modo facta est mentio, opportunum satis & tempestivum appulit Amplissimus Celeberrimusqve, dum vixit, Vir, PETRUS ELVIUS, *Mathematum superiorum, in Regio hoc Upsaliensi Athenæo, per plures annos, Professor inclutus. Qui toto hoc tempore, quo in mortali statione ipsi consistendum fuit, pie & placide inter nos vixit, strenueque Professionem sibi demandatam, secundum omnes partes, cum omnium applausu sustinuit. Hinc non potuit non apud cunctos venerabundam & amabilem sui relinquere memoriam. Quia in funebri concione, in multa honoratissimorum hominum frequentia habita, Celeberrimi Viri natales, vitæ progressus & exitus justo adparatu toti ecclesiæ enarrata sunt, & pluribus in Oratione parentali enarrabuntur, iis recensendis supersedemus.*

mus. Erunt enim illa omnia pleniore ore latius & fusius disserenda a facundissimo Amplissimoque Viro Dn. FABIANO Törner/ *Eloq. Professore celeberrimo, collega & amico nostro honoratissimo, qui perendie, Deo volente, in Audit. Gustav. Majori, hora IX justa parentalia Celeberrimo, dum vixit, nunc vero in cœlis beato* ELVIO *nostro, sollemniter juxta ac erudite persoluturus erit. Itaque qua par est observantia, & humanitate Eminentissimos* PATRONOS, PATRES *Civesque Academ. & Urbicos rogatos esse volumus, ut virtutum atque meritorum incluti Viri, suæque humanitatis ac mortalitatis bene memores, insigni atque optata sua frequentia hunc parentationis actum, loco & tempore indicato, cohonestatum condecoratumque ire haud dedignentur. Valete. Upsaliæ d.* 18. *Maji An.* cIↄ Iↄccxviii.

Audi-

AUDITORES,

Omnis loci ac ordinis, exoptatissimi, mœstissimi.

POsset videri, satis lacrimarum effusum esse, ob discessum e vita viri celeberrimi, PETRI ELVII, mathematum superiorum Professoris, in Academia Upsaliensi, longe amplissimi, quia largiter satis lacrimavimus omnes, ipsa die exsequiarum, qvum miserabilis illa gens ELVIANA, per vicos urbis, & templorum porticus, inter ejulatus, & nutantes gressus, prodeunte funere, pro-

 tracta,

tracta, ipso illo habitu nos admodum adfligeret, doloresque ita multiplicaret, ut suam sortem miserando, sensu destitutos murorum lateres lapidesque ad fletum commovere sit visa.

Videbamus tunc flentem viduam uxorem, obductisque omni oculorum lumini spissis nebulis subinde lapsantem: videbamus pulcherrimam prolem, patre orbatam, perpetuis singultibus, suppressa voce fatiscere: videbamus, *Patres*, alter alterum lugere amicum desideratissimum, flebilem concinente undiq; lessum civium Academicorum, urbicorumque corona. Quare nunc præstare videretur, parcere lacrimis, quas unicuique quotidianis in acerbitatibus effundere necessum est, si aliter posset erigi prostrata domus, quæ putat, sauciata pectora aliquid habitura solatii, si sibi liceat, partem mœroris, ut factum est, amicis reliquis, ita consolantibus se Musis, deponere. Nempe experiun-

do-

do edocta est, leniri sua mala, dum vel ipsa, inter privatos parietes, recolit paterna beneficia, vel a propinquis, vicinisque commemorari audit. Quare si pro his rostris diceretur, quis, quantusque fuerit ille, quem amisit, per auctoritatem loci, efficacissima se consecuturam solatia, non perperam fortassis credit. Fit nimirum absentis boni jactura inde sæpe levior, si, quale illud fuerit, dum eo frueremur, animo, quocunque modo queamus proponere. Est, inquam, ea indoles, ac natura bonorum, ut, absint licet, ab aliis commemorata tamen, jucundo aliquo nos adficiant sensu. Certe si verum est, quod dixit Tullius, præteritorum malorum jucundam esse recordationem, erit bonorum longe jucundissima, nos licet inter, lacrimas etjam nostras, in eorum revocemur memoriam.

Quam lugentis domus sententiam dum probem, & vehementer cupiam a vobis, AUDITORES,

 probari,

probari, male me habet, qvum videatur dicendi ars inventa esse ad laudes, ad festa, victorias, triumphos, & humani generis delicias, toties mihi funeribus mortalium illacrimandum esse. De fato functis, & morte tempestive magis dissereret, e campis Pharsalicis redux miles. Nos certe, qui mitiori nos tradidimus disciplinæ, exhorrescimus mortes & Libitinas, parumque abest, quin credamus pollui Suadæ templa, si talium quicquam in ea ingrediatur. Fit tamen, nescio quo fato, ut tanquam in sole ac luna, per necessitatem motuum cœlestium, deliquia consuetæ notamus lucis, ita & eloquentiæ, per casus magnorum virorum, non raro hæ oboriantur nubes, & maculæ. Sed nollem, nollem, o ELVI, tua morte, Academiæ Upsaliensi factam eclipsin, ad me potius, quam alios pertinere. Fuit hæc interim Tua, dum viveres, voluntas, ut eorum aliquis, qui diutissime ac con-

junctis-

junctissime tecum vixit, quæ tua fuerit vita, in eruditissimo hoc exponeret coetu. Atque Matrona nobilissima, conjux olim Tua, ANNA SPOLIA, Tibi etiam mortuo, uti per omnem vitam, obsequens hoc mihi munus censuit injungendum esse. Accipio illud, vobis utrisque ita volentibus, lubens; non quod credam, me jam diu ægrotantem, officio satis facere posse, sed quod sciam, pietati erga amicum, etiamsi deficiant vires, paratam esse apud bonos veniam, & excusationem : apud vos paratam, AUDITORES OPTIMI, & scio, & lætor.

Quando itaque totam ELVIANAE vitæ imaginem mihi ob oculos pono, aciem intentionis turbat, inque diversa trahit partim rerum dicendarum varietas, ac multitudo, partim tot oratori data præcepta, ut incertum mihi sit, progrediarne, gradus temporum, ac incrementa ætatis sequendo, an genera virtutum, & tot

artium distributiones, an minora primum, majora dicam deinde, an a majoribus ad minora delapsus inæquabili varietate parva magnis, obscura dilucidis, læta intexam tristibus. Quamcunque autem ex his omnibus ingrediar, in dicendo viam, magna se mihi offert laudatissimi viri ingentium laudum materia. Esset igitur perinde, unde inciperem, nisi me admoneret, quæ ipsam imitatur naturam simplicitas, quam maximi semper fecit Noster, simulque admirabilis constantia, in omni servata proposito, ne vel tantillum a communi illa deflectens via, ipsius naturæ ætatisque deseram vestigia.

Ita ergo a Dalekarlia, quæ ELVIIS omnibus, Nostroque vitam dedit, nobis erit narrandi principium. Scilicet ut avorum proavorumque gloria est etiam nepotum; sic bona soli domestici his erunt propria, quibus ea vindicat sors ipsa nascendi. Et qvum cogitamus, aut recon-

reconditos medio in terræ gremio incredibiles magnæ matris thesauros, quibus per orbem clara habetur fodinarum Suionicarum regina, Fahluna, aut reliquas convallium lætissimarum opes, aut vitæ innocentiam, quæ hominum est, aut antiquam fidem, aut proventum felicium ingeniorum, aut fortitudinem denique veterem, vel recentem illam, quæ, duce rege Gustavo primo, ablatam recuperavit libertatem, aut cetera; ex tantis sane rebus, fortunisque trahit is aliquid, quem hæc parens suum esse agnoverit filium.

Jactant Gothi constituta a se passim, per orbem, regna, jactant virtutem, terrarum oppressis monstris, ac salute, vitaque mortalibus data, omnium ore celebratissimam: nec illis invidemus maximi animi præclara exempla, si Dalekarlos in ejusdem laudis æquas admiserint partes. Certe ut admittant, necesse est, per intrepidos

trepidos ausus, lacertos, robur nullis domitum laboribus, similia denique pace belloque edita facinora.

Si id sibi tribuunt Gothi, se Dalekarlos in bellorum societatem adscivisse, his omnino gratias agent illi, superesse Gothicarum expeditionum memoriam, & nunquam moritura tropæa in multis Asiæ Europæque locis. Dubitatum, disputatumque est diu inter eruditos, quæ illa esset gens, quæ, ante Romana, iis in locis imperia, occupaverat sedes, aut in Taurica Cherso-neso, aut in litoribus Euxini ponti; quæ, inquam, gens ibi versaretur, lingva, moribus, corporis habitu, vestituque, Asiaticis dissimillima, & ignota hominibus. Admirati sunt Græci pariter ac Latini scriptores, suis passim in libris, hirsutas illas, & intonsas genas, laneum thoracem, femoralia, an tibialia a talis ad umbilicum surgentia. Et, qvum alius Scythas, alius aliter ig-

noto:

notos hos vocet hoſpites; ab illis tibialibus heic in exilio vitam degens, Ovidius Naſo Braccatos vocat: Dalekarlos dixiſſet, ſi, in has oras inſtituta peregrinatione, vidiſſet viros noſtros aut Morenſes, aut Orſenſes, aut Elfsdalios: atque lingvam in Braccata noſtra gente Gothicam, quam iidem Dalekarli adhuc habent puriorem, eadem agnoviſſet opera. In primis volumus, adfuiſſet Naſo, regnante *Chriſtina, Guſtavi Magni filia*, quando com̃iniſter, ut vocant, Elfsdaliorum, noſtri ELVII Patruus, Daniel Buſchovius, comitibus Dalekarlis, bellicam, eamqve Braccatam in Norvegiam ſuſcepit expeditionem. Digna illa eſt profecto, quæ rerum ab hac gente fortiter geſtarum inſeratur voluminibus.

Nempe qvum illo tempore Svecis bellum inferrent Dani, & juberentur Dalekarli excubare ad ſuæ provinciæ fines, adverſus irruptio-

in tergum rejectis, sequitur Dalekarlus: perq; summa nivium, pro locorum genio, aut præceps ruit, aut supinus: nec prius subsistit, quam viso, non aliter ac ipsis ventis ad se delato hoste, exclamarent Sernenses; ante portam est Hannibal.

De *Gustavis* & *Carolis* decorum est, usurpare illud Cæsari tributum verbum, *venit, vidit, vicit.* Ad Danielis nostri laudes satis est, brevissimo eum temporis momento, & intra mensem, rem confecisse a sacerdote non exspectandam. Convocata namque concione hostili, voce Stentoris Reginæ mandata recitat; *imperata facturis parcendum, arma contra ferentes, igne & ferro esse perdendos.* Spatium deliberandi datum est nullum, nisi ut erat vir eloquens Buschovius, quod orationem habendo, conditionesqve optimas proponendo ipse repentino perculsis periculo concederet. Facto tandem fine dicendi, universa concio vociferando in hæc erupit verba;

ba; *Christina Svecorum, Gothorumqve regina, nostra erit domina, & nos, quam diu sol oritur & occidit, erimus Dalekarli.*

Ita positis odiis, in mutuos utrinqve ruebantur amplexus: atque Buschovius docendo, concionando baptizandoq;, altera sui muneris functus parte, ita novos Sveciæ cives sibi devinxit, ut ex singulis parœciis *Serna*, *Heda*, *Idra*, viri optimi, & præstantissimi eligerentur, qui redeuntem victorem comitarentur, &, jurisjurandi formulam præeunte satrapa Krusio, fidem & suam, & domi manentium suorum Reginæ, ac regno Sveciæ obstringerent perpetuam. O admirabilem virtutem gentis, nulli ordini, nulli hominum generi denegatam, ac in ELVIANA domo prorsus illustrem!

Macti estote, vos Dalekarli, illa fortitudine, illa constantiæ laude, & in servando sermone, & custodienda vera veterique forma vestitus

 Scythi-

Scythici, ſimulque priſco, & Gothico vivendi pugnandique more.

Erit, credite mihi, tempus, quo, quemadmodum Saxones, ita ab acinace breviori, leviter incurvato, qualis Polonorum, aut Turcarum eſt, & a longis haſtis dicti, agnitique Longobardi, etiamnum famæ & hiſtoriæ beneficio in Italia, aut Germania triumphant; ita veſtram aſſertura ſit auctura que gloriam, Rudbeckio aliquo inrerpretante Diodorum Siculum, a vobis cognominata triumphataque Gallia, & comata, & Braccata.

Genti tot nominibus illuſtri ELVIUM noſtrum aſſeruit dies vigeſima quarta ſeptembris anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi. Pater erat Vir Præclariſſimus, Paſtor & Præpoſitus Retvicenſium, in Dalia orientali, GUSTAVUS ELVIUS: Mater ANNA GANGIA, ſui ſexus temporisque ornamentum. Quæ fuerit, inter cetera, diſciplina,

discipline, & ars Retvicensis domus, in educanda prole, qua non alia, aut numerosiore, aut pulchriore illis in oris floruit, alibi diximus: & vera me dixisse, comprobant luculenter, qui inter nos vivunt, aut vixerunt omnes ELVII ELVIAEQVE. Fuit PETRUS natu maximus: ideo praeeundo, & ad honesta quaeque annitendo, facem praeferret eandem perrecturis viam, fratribus sororibusque, se secuturis ordine longo.

Est quidem justissima natorum omnino omnium cura diligentior attamen tanto; est justior eorum, qui primum nascuntur, quanto pluris refert, si ipse decesseris, ut habeas, cui, quos relicturus sis ceteros, tutius queas committere. Inest ipsis annis auctoritas, eaque, apud natu minores, in utramque valet partem. Proinde sapiens Nostri pater nihil omnino neglexit eorum, quae filio, recens nato, fortunam facerent faventem, & magis propitia fata.

Jamque ſub ipſo vitæ diluculo infanti veræ felicitatis fores, & ſalutares cœleſtium in terris palatiorum valvas, Eccleſiam aperuit, poſtquam voluntatis, ac fidei infantuli interpretes, pro eo renunciantes orco & diris, id â divina impetraſſent gratia, ut aqua & ſpiritu repurgatus, civis evaderet illius reip., cujus rex, & caput eſt mundi Salvator, Chriſtus.

Ad cunas a templo rediens, Deo plenus, nihil non ſpirabat manſueti, nihil non Deo hominibusque grati. Et ab illo vitæ exordio puer deinde factus non diſſenſit, quin una cum ipſis ſingulis diebus in eo accreſceret pietas, probitas, ingenium, & quæ his alebatur, parentum optimorũ ſpes eximia. Si preces fundendæ mane, aut veſperi, ſi menſæ prandium conſecrandum, ſi in templo Divinæ canendæ laudes, patrem imitando voce, vultu, totiusque corporis geſtu, motuque parvulus quidam viſus eſt ſacerdos.

Quibus

Quibus ex moribus ſacerdotem fore, non ſemel augurata eſt altera Noſtri Mater: nam GANGIAM, genetricem, morte ſibi ereptam, vix riſu cognoverat. Matrem dixi alteram, quia novercam nunquam appellavit beatus ELVIUS ELISABETHAM, OLAVI Dalekarli filiam, moribus, & vitæ innocentia referentem conſobrinam, ANNAM TERSERAM; cui nomini id eveniet, quod magnis illis, quæ poſteritas virtutum maximarum conſtitutis claſſibus & exemplis, inter prima in ſeptentrione venerabitur ob pietatem, & quaqua patet honeſtas, virtutem omnem.

Eſt illa, ANNA TERSERA, AUDITORES, ELAVI TERSERI, Epiſcopi olim Lincopienſis, Dalekarli, omni, ob eruditionem multiplicem, & ſummam, prædicatione majoris filia, quam ſuis nunc fovet amplexibus, utinam diu foveat Achiepiſcopus regni MATTHIAS STEUCHIUS!

Hoc ſuæ ELISABETHAE de filio judicium non

vanum fuisse, arbitratus est, in conjecturis vir sagax Retvicensis Præpositus. Scilicet inerat puero oris illa dos, clara & distincta verborum pronunciatio, inerat tonorum gravis & acuti, per septem gradus adscendens aut descendens, erroris expers, musicis inter canendum frequens periclitatio: inerat memoria, & quicquid inesse volumus, si adfuissent ætas ac eruditio, pro sacris rostris facturo verba. At unum erat, cur simpliciter suis non fideret votis pater: videbat enim Petrum suum sanctiores illas precum, cantionumque vices perpetuis fere distinguere picturis: & ubi deesset creta, qua lineis in mille formas, & angulos ductis pavimenta, portas & parietes dealbaret, in genua procumbentem deprehendebat, radio orbes describere, aut lance facta, adjectis lapillis pondera æquare arenarum, aut pede, numeratis gressibus, locorum metiri intervalla. Opus puerilium occupa-

tionum

tionum ultimum fuit ex argilla, & calce exſtructum templum, quod eandem, ac Retvicenſe, haberet formam: Stetitqve imaginarium illud imitamentum annos plures. Admirati ſunt multi non tam ſingula ſuis diſpoſita locis, ut, in medio tecto turrim, ut portas, ut feneſtras, quam accuratas illas, Elviano pede, factas menſuras, dimenſionesque rei ad imitandum propoſitæ, ſine ulla intuentium offenſione congruentes.

Usque adeo, AUDITORES, in omni ætate ſibi ſimilis eſt natura, ſeverioraqve illa vitæ humanæ negotia ludo temperat, non in pueris ſolum, ſed etiam in juvene, viro, ſene. Nimirum quemcunqve intenderis arcum, ſive major, ſive minor ſit, illum, niſi quandoque laxaveris nervum, rumpes. Quod de ſingulis hominibus ita verum eſt, ut etiam ex inſtituto imperantium, integris civitatibus, nationibusque certa quædam animorum, poſt labores, data ſint pa-

 bula.

bula. Huc pertinent ludi, theatra, ſpectacula, quæ vidit Græcia, vidit Italia. Nec alia de cauſa in Olympico decertatum ſtadio, & arena urbis Romuli. Comœdiæ, Tragœdiæ ob finem ſunt eundem: ut a' rebus ſeriis tantiſper revocentur ad labores redituri. Quid multa? Foſſor in cavernis terræ lapides cædendo, metalla ferendo, ad ignes perpetuos ſudando, quia aliter non licet, canendo mulcet laborum, alias non toleranda tædia. Tantum itaque abeſt, ut filioli ſui iſtas ineptias pingendi ædificandique, vel verbo caſtigaret prudens pater, ut miraretur potius ingenium in nova quotidie excogitando occupatum, ſubdubitans fere, ad Matheſinne, an ad ſtudia Theologica puſio ille magis raperetur. Lætus interim, non ad raſtros pertinere ultra tendentia molimina, melioris ſtatim vitæ præceptis eum fecit imbui, ſive domi ſuæ, ſive in Schola Aroſienſi.

Heic

Heic ad eum annum, quo Romani prætexta posita, togam sumsere virilem, hoc est, decimum quintum, eas fecit in literis progressiones, ut auctores essent parentibus Lectores Gymnasii ad Academiam Upsaliensem ablegandi adolescentem, qui majori ad magna ferebatur impetu, quam ut diutius Scholæ contineretur claustris. Nec dubitavit pater, commeruisse Petrum suum tam præclarum, de se Præceptorum testimonium: distulit tamen Upsaliense iter, biennium. Ut autem voluptatis primos quasi fructus ipse tunc carperet, instituto examine deprehendit denique, nihil superfuisse eorum, quæ Arosiæ addisci soleant, & quorum jactis fundamentis Academica recte ordiantur studia scholares.

Anno itaque superioris seculi septuagesimo septimo eruditæ civitatis habenas moderante Poësios Professore, viro ad carmina nato, Jo-

hanne Columbo, Upſaliam Noſter vidit primum. Benevolentiam Magnifici Rectoris, & illo tempore, Decani Facultatis Philoſ. Profeſſoris antiquitatum Patriæ, Olavi Verelii expertus eſt ſingularem. Qvum namque deprehendiſſet Verelius, ELVIUM inter eos, qui ſe Decano, intra Muſarum vireta eſſent admiſſi, doctiſſimum eſſe, his verbis eum alloquitur: *Guſtavus, pater tuus, Elvi, erat, qvum ambo ſtudioſi eſſemus, eſtque etjamnum mihi longe cariſſimus: & quia video, te patriſſantem, loco abſentis, præſentem te amabo, & ſi poſſum, juvabo. Tu DEum colito, & eſto diligens.*

Illa viri graviſſimi voce ita exhilarata excitataque eſt mens generoſior, ut admiranda alacritate in publica privataque involaret Profeſſorum auditoria, & quæ proponerentur, omnia, animo, oculis, auribus, attendendo, auſcultando, ſcribendo ſua faceret.

In eloquentia eo usque adhæſit Columbo, ut

ut epiſtolam, Chriam, Ethopœjam & reliquas, juſtæ orationis particulas, ſine vitio ac errore conſcriberet. Jamque juſſus eſt, quæ modeſtisſimi viri modeſtia, ab eodem Columbo, Nordenhielmii, Tullio vix cedentis, experiri limam. Expertus eſt annum, eamque ſimul adeptus latini ſermonis facultatem, ut, qvum huc usque Latinis Græca, Græcis Hebraica adjunxiſſet, quod nunc ſequitur tempus, a diluculo ad ſeram veſperam, aut Theologiæ, aut Philoſophiæ impenderet. Quos fecerit progreſſus ſive in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſive capitibus religionis Chriſtianæ, ſive ritibus & antiquitatibus Judaicis, vos teſtes mihi eritis quatuor Academiæ Upſalienſis Theologi. Vobiſcum enim de his rebus ita diſſerentem ſæpe audivimus, ut ex ordine veſtro unus videretur. Et quid ni videretur, ille qui eodem, ac vos uſus eſt præceptore, ſummo & Excellentiſſimo, Erico Benzelio, Patre, Pro-

Cancel-

Cancellario Upſalienſi non ita pridem, longe optimo. Adfuit vobiſcum una Elvius, non illa ſolum hora, qua prælegendo vobis cœleſtem inſtillaret doctrinam ſanctum illud oraculum, ſed etiam altera, quæ ſequebatur, & qua eorum, quæ audita eſſent, redderetur ratio. Quam horam ideo, opinor, vos volupe nominaſtis, quia ſale ſocratico, facetiisque interrogando reſpondendoque animos veſtros multa recrearet voluptate Benzeliana in docendo facilitas.

Alteram ſui temporis partem philoſophiæ tribuens, ea uſus eſt ſtudiorum ratione, quæ utilis, quæque neceſſaria iis omnibus, quibus ſolida eruditio curæ cordique eſt. A Logica namque orſus ipſas cogitantes cogitationes longa eaque naturali diſpoſuit ſerie: & poſtquam didiciſſet, notiones mentis rebus adjungere percipiendo, affirmando, ex notis ignota concludendo, ita denique experiendo majorem ſui ingenii vim,

vim, Metaphyſices, litore carentes Oceanos ingreſſus, quod heic primum, & ultimum eſt, DEum, univerſitatis auctorem, propter immenſitatem rei, totus ſtupens intuebatur. Atque meditatus infinitas in Ente ſummo perfectiones unius, boni, veri, cauſſæ, principii, videbat non ſpecie, ut loqvuntur metaphyſici, nec diverſa definitione, ſed gradu, ab ipſius DEI immenſis attributionibus, differre dotes cum creatura communicatas: ut DEum creatorem in re omni, etiam viliſſima tandem didicerit conſpicere optimum, maximum.

Eſt hæc vera Metaphyſica, Cariſſimi Juvenes, quam lætor veſtris imprimi animis ab acutiſſimo hujus Academiæ Doctore Metaphyſico, quem dicerem maximum, niſi Steuchius Pater, Camenarum Upſalienſium Pro-Cancellarius eminentiſſimus, ſub quo, hoc in genere profecit ELVIUS, filio eſſet, fuiſſetque major. Noſter

vero inſtructus neceſſaria lingvarum notitia, rerumque Theologicarum, & imbutus arte utendi ratione, ſpeculando res illas divinas, & Metaphyſicas, adſvetus contemplationibus, tandem ſe Mathematico dedit ſtudio. Huc illum pertraxerat dudum, in puero gliſcens, quam dixi, vis quædam naturalis, quam admirabili contentione aluere, & auxere duo illa orbis literati lumina, ANDREAS SPOLIUS, & JOHANNES BILBERGIUS, ambo illuſtres Mathematici & Profeſſores. Et BILBERGIUS quidem, Epiſcopus poſtea Stregneſenſis, qvum deprehenderet, ELVIUM, ante alios ingenio valere, velletqve difficillimam illam de coloribus quæſtionem publice diſputando examinari, hanc Noſtro dedit elaborandam.

Annus erat milleſimus ſexcenteſimus, octogeſimus quintus, quo, qui adſuimus, audivimus Noſtrum, ex hac cathedra mirifice diſputantem.

BIL-

BILBERGIUS, cui nihil erat gravius, quam hoc in loco tacere, de caussa ad se quoque pertinente disceptantibus aliis, quatuor nunc horis, ipse præses, & litis arbiter tacuit. Interea ELVIUS voce, digito, circino, radio se suaque defendendo nos videntes, audientesque in se convertebat omnes.

Ego adhuc memini, AUDITORES, quando urgeret adversarius definitionem colorum Aristotelis, *esse perspicui in corpore determinato extremitatem*, respondisse Nostrum, non posse regulam Lesbiam pluribus adplicari locis rebusque, quam illam descriptionem coloris. Quare ordine eundo, refutavit illa Aristotelicorum discrimina colorum in veros & umbratiles, exempla adducendo iridis, marisque pro diverso intuentis loco, undarumque motu albentis, virentis, cœruleum inducentis colorem; docuitque istas mutationes ita heic fieri, ut fiunt in cervicibus

columbarum, pennis pavonum, aut rerum aliarum ſuperficie; quæ res pro diverſitate ſitus, ut loqvuntur Phyſici, radios incidentis luminis aut refringunt, aut reflectunt. Cetera narrandi hic non eſt locus.

Deſcendens e Cathedra Noſter multa omnium congratulatione exceptus, ob tam luculentum eruditionis ſpecimen, majora cœpit meditari: atque in dies proficiendo, ſubiit examen, primum in Theologia, mox in Philoſophia, & utrobiq; nactus doctrinæ pulcherrima teſtimonia, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo octavo, alterum protulit ingenii mathematici fœtum, ſub præſidio incluti ſenis ac Profeſſoris, ANDREAE SPOLII, de Teleſcopiis.

Sic multiplicatis ſpeciminibus cognitus probatusq;, dignus eſt habitus, qui per virtutem & doctrinam Magiſter Philoſophiæ renunciaretur, ad finem hujus ejusdem anni, a Profeſſore

Philo-

Philoſophiæ practices, NICOLAO WOLFIO, STIERNBERGIO, poſtquam Ampliſſimum Collegium Philoſophicum, inter honorum Academicorum Candidatos, amplum Noſtro dediſſet locum.

Non referre ſua arbitrantur aliqui, quo in numero ſint apud Præceptores publicos, ut perinde illis ſit, vocenturne examinati, Candidati & Magiſtri, an titulis, quos dare ſolet Academia, careant omnibus.

Sed res illa qvum ſit exempli peſſimi, adverſeturque moribus majorum, id ſæpe effecit, ut viderimus juvenes, rebus gerendis idoneos, quia carerent ſuæ induſtriæ hoc teſtimonio, neglectos eſſe.

ELVIO hactenus profuit recens honor, qvum Stockholmiæ inter nova Academica recitaretur prolixus ille factorum Magiſtrorum Catalogus, nomenque ejus inter prima eſſet, ut in majori hominum luce cœperit verſari; & iis, qui muſis faverent, innoteſcere.

Pro-

Propria vero Noſtri laus eſt, Comitem Excellentiſſimum, Regium Senatorem, FABIANUM WREDIUM, ex illa Magiſtrorum multitudine, ſolum voluiſſe ELVIUM, qui præficeretur vitæ ac ſtudiis CAROLI Filii.

Integro fere triennio in illuſtri verſatus aula Noſter, per egregias diſcipuli progreſſiones, ſtudioſe cultus eſt ab omnibus, quorum obſervantiam WREDIANA meruit domus. Ab ipſo ſane Comite WREDIO ita eſt amatus, ut is ELVIUM, quam diligentiſſime cuperet exornatum. Aderatque tempus, quo juventus Academiæ Upſal. ex Adjunctorum ordine, novo egeret rerum Mathematicarum Doctore. Tunc audiens ſollicitari ELVIUM Illuſtriſſimus Comes, tot jam privatis edoctus experimentis talem virum patriæ, non uni ſuo CAROLO prodesſe oportere, ea de cauſſa Noſtrum, unde venerat, ad Camenas Upſalienſes remiſit.

Annus

Annus erat millesimus sexcentesimus nonagesimus secundus, quo, ita cupientibus Philosophiæ Professoribus, ita, per auctoritatem Regiam, jubente Comite & Cancellario Illustrissimo BENEDICTO OXENSTIERNIO, dictam adiret Adjuncturæ provinciam.

Est ea quorundam hominum fortuna, ut saltu quasi facto, nulloque in limine hærentes adeant ampliora illa in Academiis munera, quæ etiam cum laude eos sæpe gessisse, & gerere videmus. Sed quoties, quæso, gloriatus est Noster, debere se adjuncturæ, si quid in se esset artis, si quid opis in docendo. Tum enim vigilare, laborare, omnibus horis vacare didicit juventuti: & consvetudine non aliter ac in naturam transeunte, Professor factus perpetuo sibi similis, cum magno multorum bono, quia in omnibus ipse exercitatus, ad omnia paratus omnibus vixit obvius, ac patens. Atque qvum

essent inter Collegas, ejusdem muneris socios, hoc est, adjunctos, acria, ut solet, certamina, quis eorum solertius inveniret aliquid, quo, post proposita magis necessaria, juveniles accenderet aleretque honestas voluptates; ceteris alia tractantibus, Noster severiori fessos disciplina, novo invento recreavit. Scilicet magna juvenum circumdatus frequentia inter alia commentationibus historicis, Geographicis, Genealogicis, & Politicis illustravit relatus, quos per Europam volitans frequentior adfert Mercurius.

Non dixerim, majorem me vidisse unquam apud Adjunctum, auditorum numerum, quam tunc in ædibus Stigzelianis, quas tenebat noster, & unde ruebant; hora post meridiem, quinta dimissi Comites, Barones, Nobiles, & ingens ingenuorum adolescentium multitudo.

Sic Noster sua studia communi pubis Academicæ consensu, & confluxu probari intelligens,

gens, ut vitæ instituto, sibique consentaneus esset, anno superioris seculi nonagesimo sexto, tertium in hunc adscendit suggestum, & disputando de *pede suethico*, ejusque usu, prioribus similem commeruit applausum, etiam patrum Academicorum: qui, qvum moreretur Senior Facultatis Philosophicæ, Mathematum super. Professor, ANDREAS ille SPOLIUS, Nostrum comuni suffragio sibi designarunt collegam. Atq; nunc quoq; accedente in juvando Nostro auctoritate Cancellarii beneficentissimi, Comitis BENEDICTI OXENSTIERNII, anno dicti seculi ultimo locum demortui SPOLII a Rege Clementissimo, CAROLO XII is occupare jussus est.

Quam spartam quam dextre exornaverit multa loqvuntur testimonia. Loqvuntur Præceptoris sui immortalia beneficia, per omnem patriam tot ab eo facti mathematici in Scholis, Gymnasiis, Academiis,

tot Aſtronomi, Geometræ, caſtrorum menſores, rerum & ignium militarium hac tempeſtate artifices ſummi: qui Upſaliæ ELVIANAS frequentando officinas, hinc ſecum magnam partem abſtulerunt earum, quibus nunc clarent, fulgentq; artibus, in eximia Regis ac patriæ commoda.

Teritur quovis die noſtris manibus quadrans Elvianus, qui ſigniferum circulum totum quarta illa exæquando quaſi parte, cœlorum terrarumque metitur terminos.

Oculis uſurpamus æneos illos globos Dædalea Noſtri manu confectos. Non heic vias ſolis, intervalla temporum, motum planetarum, & reliqua, ut in aliis, digito opus eſt oſtendere, quia intus agit vis quædam, quæ animulæ inſtar, nervis, rotulis, hamis, quod fit in horologio, totam vertit volvitque machinam: ut heic repat, aut pleno feſtinet gradu recta & obliqua abſolvendo itinera, quicquid eſt ſideris, ut in ipſo contingit nos ambiente cœlo. Bo-

Bone DEus, homo homini quid præſtat: auſim dicere, quid mathematico mathematicus!

Quia hoc vidimus ſubtiliſſimi ingenii inventum, jam tanti non facimus Barometra, Thermometra, horologia a Noſtro partim facta, partim inventa: dolatus interim & minutis conſtans partibus aſſer, ut aut humidus, aut aridus eſt aër, ita in utramque ſe inclinando partem, quia & illum primus invenit ELVIUS, noſtriſque dedit domibus, magni eſt faciendus.

Sunt alia noſtris dicata uſibus, illo auctore, nobis longe utiliſſima, quæ omnia, illo mortuo, nobis proderunt ſemper. At querimur, accuratiſſimarum ejus ephemeridum calendariorumque uſu in poſterum nos carituros eſſe.

Sed quid loquor res notiſſimas apud vos, AUDITORES, qui toties agmine facto, in Elviana confluxiſtis muſæa, ibique aut in luna, aut in ſole deficiente admiranda, ſtupenda denique

multa, ejus uſi oculis aut tubis obſervaſtis.

Vos, Juvenes cariſſimi, an non recordamini multas illas noctes, quibus Noſter pervigil & inſomnis, pluribus ordine diſpoſitis ſphæris, docuit ad quam horam hæc, aut illa cœli lumina, ſtellæ & planetæ orirentur, vel occiderent. Quoties, quæſo, his demonſtratis, ſecuti eſtis extra portas erumpentem in locum editiorem, & colles Upſalienſis arcis?

Annon obſervaſtis, diſcedentibus ſex Zodiacalibus ſignis, alia ſex emergere; ad antipodas tendente ſerpentario, nos viſere Oriona, hydram præcipitare aquarium, oriri canem minorem, occidente Antinoo. Iſta & multa alia vos vidiſtis, quæ, de ſingulis concionante ELVIO, amplius eheu! viſuri non eſtis.

Ego certe diligentiam laborioſiſſimi viri defatigari neſciam admirari ſatis non poſſum. Qvum reliquæ officiorum vices ad collegas ordine

dirie irent, redirentqve, ſolus Noſter rem Academiæ agrariam ad finem usqve vitæ laudabiliter adminiſtravit: nec in reliquis Profeſſorii muneris partibus unquam ceſſavit.

Regiorum alumnorum, ceterorumqve inſpector in mores, ſtudia, laboresqve ſedulo inquiſivit: typographiæ Ephorus officinam, chartam, ſtilos, operarios, prudenti examinavit oculo. Ædilis Academicus & ærarii Curator annonam, reditus ac ſtipendia tempeſtive proſpexit nobis ſingulis.

Decanus lectiones collegarum, diſputationes, orationes, examina Candidatorum, & alia omnia ad decus, & honorem Collegii curavit.

In Conſiſtorio ſive majori, ſive minori non obiter cauſſas cognovit; ſed fuit unus ex iis, in quibus cum facilitate junctus rigor ſontes non perdere, verum emendare diſcupiit.

Ante quinqve hos annos ſplendide appara-

tis omnibus, ipſas quaſi muſas lauto excepit convivio, qvum prius, Apollinis inſtar, in hujus loci amphitheatrum ex media juventute produxiſſet viros quadraginta, eosqve eruditiſſimos Philoſophiæ Candidatos, quos pro concione laudatos lauro, annulis, magnisqve donatos privilegiis, Magiſtros & Doctores liberalium pronuntiavit artium.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupresſi; tantum eminet, ſupra munus Academicum omne, Rectoratus. Illum bis magna ſua gloria geſſit Noſter. Juſtitiam, æquitatem, humanitatem, vos quotquot adeſtis, AUDITORES, ELVIO rectore, in ipſis Academicis conſpexiſtis faſcibus. Dicam breviter: nulla fuit aut vitæ, aut officii pars, in qua claudicaret ELVIUS.

Idem ille, ut totus vacaret rebus, ac ſtudiis Academicis, nec cura domus eſſet impedimento viro, ad tot publicas Camenarum utilitates

tates nato, tempestive, hoc est, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, virginem suo ingenio, suis moribus vitæque instituto convenientissimam, multa condecoratam virtute ac pulchritudine MAGDALENAM BUSCHAGRIAM duxit uxorem.

Quæ mutui amoris, officiiqve certamina illo in conjugio fuerint utrinque, nemo satis dixerit. Fuere sane maxima.

Ac licet tanta fuerint, ut optaret uterque, qvum per intimam caritatem alter alteri superesse non posse videretur, una efferri hora; factum est tamen anno, post conjugales incensas tædas, decimo sexto, ut tam caris ELVII amplexibus moriens eriperetur dulcissima conjux.

Erat alienis in malis tam tenero sensu Noster, ut nobis videntibus, lacrimas sæpe fuderit: sed ad hanc cladem obstupuit. Quare ad consolandum convenientes amici videbamus

immo-

immotos ſtanteſque oculos, in illis ne humore quidem conſpecto. Incredibilia fortaſſis narraro videor, at ſimile exemplum in Herodoto olim me legiſſe memini. Scribit enim ille Pſammenitum, Ægyptiorum regem, eodem obtutu, ac erat ille dolentis ELVII, adſpexiſſe filiam in ſervitutem, & filium a Cambyſe, victore ad mortem rapi, eundemque Pſammenitum, qvum bonis ſpoliatum mendicantemque videret, ex beato miſerum jam factum civem, ingentem fudiſſe vim lacrimarum.

Nos, qui apud ELVIUM tunc aderamus, revocati in memoriam reſponſi, quod dedit miſer ille rex Cambyſi, quærenti de illa non ſperata dolendi diverſitate, *mala domeſtica lacrimis eſſe majora*, intelligebamus, quod erat, dolorem in cor ipſum facto impetu, & oculis & reliquis ſenſibus induxiſſe ſtuporem.

Verbis noſtris qvum commoveri non poſſet

possent, visu miserabilis erat consolatio liberorum, matre orbatorum, qui inter ejulatus patrem clamantes, & palmis tundentes, stuporem discussere, & ad similitudinem dolendi pertraxere.

Tum primum audita vox miserantis fortunam suam, querentisque, alteram sui partem sibi ablatam.

Sensim paullatimque ad se rediens, sibiqve tandem redditus confitebatur, divortia viri & uxoris, inter quos verus amor, omni cogitatione esse tristiora, & philosophum, qui heic venditaverit constantiam, vix hominem esse. Atque refectus tribus pulcherrimis tori pignoribus, GUSTAVO, JOHANNE, & ANNA CHRISTINA, matris mortuæ simillima filia, apud animum constituit, quæ reliqua sibi futura esset ætas, eam illa in solitudine se transacturum.

Finito biennio, qvum carissima filiola inviseret domos amicorum patris, videretque ibi

dulces matrum amplexus, audiret grata parentum colloquia, lepidos jocos & risus, domum rediens suam iterum iterumque questa est sortem; non alibi ea esse silentia, non mœstos paternos vultus, non obscuros & pullatos parietes, non tristes fratres & sorores, sed plena gaudii voluptatisque omnia.

Quid animi cogitatis, AUDITORES, fuisse tam indulgenti patri, dum audiret illas ANNAE CHRISTINAE querelas?

Multi scimus, vulnera mœroris ad cicatricem perducta nunc recruduisse, & animum Nostri in contraria versatum dubias diu divexasse cogitationes.

Caussam filiæ, matrem volentis, egere cognati & amici; sed tenax propositi, sua in sententia perstitit Noster, donec matrona illa, omnis memoriæ inter Upsalienses fœminas clarissima, communis olim nostræ urbis mater, OLAVI

RUD-

RUDBECKII, patris, conjux, WENDELIA LOHRMANNA, verbo auctoritatis plenissimo juberet, ELVIUM sibi uxorem, suis matrem prospicere: atq; ne in eligendo erraret, selectissimam virginem, ANNAM SPOLIAM, quam ambiret, nomine digitoq; monstravit.

Tunc deniqve omnibus optime cupienti matronæ ELVIUS, qui filii instar ab ea amatus, repugnare non sustinuit, & petitam nobilissimam virginem, feliciter factis nuptiis, accepit.

Tralatitium est, si primam uxorem amiseris bonam, Xantippem fore secundam. At ELVIO matrimonium utrumque par fuit, sive sui amorem, sive curam sobolis, & rei domesticæ, sive verborum morumque veneres, & delicias respiceret. ANNAM certe suam non minus, quam olim MAGDALENAM laudaverat, omni data laudavit occasione.

Qua etiam virum complexa sit caritate SPO-

LIA, præter alia celebritas exequiarum, ſolennitas hujus diei, & aſſiduus teſtatur luctus.

Ut crevit ſecundis in nuptiis Noſtro felicitas reliqua, ita proles illa tergemina, PETRO aucta eſt filio, filiaque ANNA MARIA: quæ ut tenella adhuc eſt, ita PETRUS fere octennis puer, ut ELVII agnoſcas filium, & avi materni ANDREAE SPOLII nepotem,

Ludere par impar, equitare in arundine longa neſcit. Contra, quod fecerat futurus Mathematicus pater, ceruſſa obviis in chartis deſcribit rectas, obliquas, decuſſatas, in quincuncem digeſtas figuras, multasque rerum formas. Atque ubi otiatur, oculis perluſtrando tecta paternæ domus, ſolis, lunæ, planetarumque reliquorum vias, ibi ſuis orbibus, ac cyclis depictas ſpeculatur. Copernicum, Tychonem, Brahæum, Hevelium, Keplerum, quatuor illa reſtauratæ Matheſios lumina, in eodem muſæo, pictoris

pictoris manu positos, adhuc puerulus cognoscit, & monstrat adventantibus.

Est ille ipse puerulus, AUDITORES, quem hac mea manu ostendo. Indignum esset nobis, vobis, inquam, Patres Academici, indigna res esset, si pateremini gliscentes illos ex oculis sublimioris ingenii extingui igniculos. manus, quas movere nequit mortuus ELVIUS, per me, ad vos tendit, ut prolem suam musis consecratam juvetis, ornetis. Si aliis recte impenditis labores vestros, vestra tribuitis beneficia, hujus tam amati collegæ filio impendetis omnium rectissime. Id â vobis postulant jura amicitiæ, postulat viduæ matris conditio, postulant exempla vestris olim profutura filiis.

Fuit ea sane vita ELVII, illi fuere mores, ut pignora ipsius omnia omnis bonus diligere debeat. Si pietatem spectamus, erat illa sine fuco: si fidem, si probitatem, integerrimus erat: si hu-

manitatem, quacunque poterat ratione honesta, singulorum inserviebat studiis.

Mundi ineptias, vanitatesque eousque habebat odio, ut luxum, arrogantiam fastumque toto aversatus sit animo, cum aliquo severioris disciplinæ philosopho comparandus. Sermo illi inerat severus, idemque in familiari colloquio facetiarum plenus, longeque jucundissimus. Fabulis, Apologis, Apophthegmatibus non alius tempestive magis utebatur, hoc sale condiendo serias amicorum disputationes domesticas.

Unde est, ut, si aut publice, aut privatim mentio fiat conjunctissimi nobiscum viri, doleamus multi. Mihi certe obversantur quotidie oculi illi cæsii, aquilinus nasus, mentum acutum, vultus philosophicus, totum denique corpus, ut majori non laborans mole, ita ejus magnitudinis, quam viris tribuere solet natura benignior.

Erant

Erant, ut in Dalekarlo firma omnia, caput nec falerno, cujus noster parcissimus, nec ullis algebraicis turbandum labyrinthis. Limæ, torno, malleo adsuetæ manus sine callo non erant. Laterum, crurum, pedum illud erat robur, ut scipione egeret nullo, si biennium hoc exceperis ultimum. Scilicet ab anno millesimo septingentesimo decimo sexto, repente, ut fabulas catastrophe, ita incidens quidam languor lentam, & naturæ manu arctissime compositam compagem cœpit laxare.

Sic ergo baculus, quem huc usque, ne a moribus dissentiret seculi, gestaverat, factus est comes necessarius, postquam nox ipsi, aufugiente somno, tribus constaret horis, & cantum galli primum, diu vigilando præstolaretur. Displicuit jam cibus consuetus & potus, omniumq; facta vicissitudine, idem non amplius, qui fuerat, evasit ELVIUS.

Cerne-

Cernebatur nunc quoqve major quædam & fere offendens aſperitas vultus. Subſidentibus oculis circa palpebras, ſubducto ſucco, depreſſi notabantur orbes; pendentes utrinqve genæ oris minuebant decus, interque rugas minores duæ longiores brevi interjecto diſcrimine, mediam frontem gemino ſecabant ſulco. A capite tandem ad calcem idem deſcendens malum, etjam reliqvum exurebat corpus, ubique magis adſtricta cute.

Inter hæc vehementior tuſſis depaſcendo pulmones ita eos lædebat, ut vulneratos non dubiis intelligeretur indiciis. Quare medicorum laudata uſus opera ulcus illud pectoris non infeliciter ſanare cœperat, qvum adulto vere ſuperioris anni ingratiſſimus, idemque funeſtus adeſſet nuncius, JOHANNEM filium, a minoribus illis militiæ gradibus ad ampliſſima quæque tendentem, morbo Gevaliæ, ubi tunc ſtationem nactus verſabatur, extinctum eſſe. Vim

Vim medicamentorum per aliquod tempus inutilem reddidit ille dolor: at ſuſtulit prorſus, poſt aliquot duntaxat menſes iterata afflictæ domus clades, apud Stockholmienſes moriente filio, natu maximo GUSTAVO, juvene non nobis ſolum, *Patres Acad.* amato ſed probato ſimul omnis eruditionis, artis, ſapientiæ, ingeniorumque cenſori, PETRO RIBBING, Uplandiarum Gubernatori excellentiſſimo, Lycei Upſalienſis Mæcenati. Cujus quidem merita eo evaſere, ut omnes noſtras dudum ſupergreſſa prædicationes, non loquentem aliquam, ſed tacitam nobis injungant pietatem. Patere, quæſo, tamen Illuſtriſſime Baro, ut, Te præſente, dicam, beatum ELVIUM ingentia tua beneficia GUSTAVO ſuo præſtita, per omnem vitam, ad cœlos usque extuliſſe. Patere etiam, ut dicam, non nos ſolum, juventutis doctores, benivolentiæ Tuæ æternum obſtrictos eſſe; ſed eruditos quoque hos juvenes, quaqua in orbem ſunt abituri, Tuas hinc ſecum deportando laudes, ultra Thulen, & vias ſolis circumlaturos.

Noſter, AUDITORES, tam pulchro filio, ſpe ſuæ domus ſpoliatus, etiamſi, reſiſtere conaretur diu, ad

poſtremum tamen mœroribus ſuccubuit. Tunc remoto quaſi cuſtode, quia nihil, ægra mente in corpore ſanando profecit medicus, ad pingviorem quaſi admiſſa paſtum mortifera tuſſis, quicquid pulmonum ſupererat, exedit.

Quis crederet hominem conflictantem cum tot difficultatibus non & privatas, & publicas rerum curas abjecturum, omiſſurumque fuiſſe. At non omiſit ELVIUS, qui hoc poſtremo vitæ ſuæ tempore Academiæ Rector Magnificus, ita laborioſiſſimum adminiſtravit munus, ut a viro vegeto, nullisque turbato ærumnis, majori cum induſtria geri non potuiſſet. In eo ſolum ſibi erat diſſimilis, quod obtutu ſeveriori, voce, quæ olim acuta & clara, nunc obtuſa & rauca, quandoque etiam in reſpondendo pungente uteretur laconismo. Sic quoque Rector optimus.

Nos inde tamen, & in dies augeſcente virium infirmitate, conjecimus ipſo tanto ſub onere illum iri oppeſſum. At ſtetit ad finem, ita ſecundum abſolvens circulum laborum, & honorum Academicorum omnium. Tandem relictis noſtræ reipublicæ habenis, & in tabulas relatis iis, quæ poſt mortem, quam nunc

adeſſe

adesse intellexit, fieri vellet, ipso, quod jam celebrabatur, festo Juliorum, totum se contemplationibus Divinæ dedit gratiæ. Nativitatem JEsu Salvatoris, indeque in se, & humanum genus beneficiorum provenientes fructus ardenti amplexus est fide. Atque tantarum rerum consideratione perculsus, ac cœlestia toto complexus animo exclamavit; *Dimitte servum tuum, Domine cum pace: quia viderunt oculi mei salutem tuam, quam parasti in oculis omnium populorum: lumen de tegendum gentibus, & gloriam populi tui Israëlis.* Mox tanquam chori musici præses, sequente ANNA conjuge, prole, & universa familia hymnis & pæanibus misericordiam Dei patris, merita Filii, & verbo fidem imbuentem Spiritum Sanct. ut extra portas exiret canentium sonus, tantisper non rauca celebravit voce.

A cantilenis ad preces se convertit devota mens, acceptoque pignore æternæ vitæ, quod in Sacra Cœna est, mundana reliquit omnia. ANNAM suam cum liberis ita docuit vitam instituere, ut, quia nunc migrandum sibi, in cœlis facto occursu alter alterius æterno lætaretur gaudio.

Huc ille Noster concessit hoc anno, mensisque Ja-

nuarii die duodecima, & hora vespertina sexta; Noster amplius non futurus ELVIUS.

Arbitratur Tullius, non esse epilogum oratori admodum necessarium, si de laudatis dixerit viris; neq: ego arbitror. Nam quo pertineret? Quasi aut vos Patres, aut vos, Cives Academici, ego instituta virtutum, meritorum, beneficiorum nova commemoratione admonerem, ut recordaremini Viri, cujus vit: & memoria, ita animis infixa est vestris, ut iis excidere possit nunquam. Certe sive locum illum in Professorio ordine vacantem respexeritis, sive, quem videdetis, PETRUM filium, sive defuncti præterieritis domum, sive manu tractaveritis tot ingeniosa in Mathe... inventa; donec illa erunt, ELVIUS & vestris occurre: oculis, & nepotibus commemorabitur seris. Est tamen, est aliquid, AUDITORES, cujus admonendi mihi estis, & cujus fere omnes sumus immemores; ut mortem cogitetis. Quæ pietas fuit ELVII, sit illa nobis exemplo, ut DEUM recte colendo, neminem lædendo nostra agendo, vitam agamus innoxiam, nec mortem timendo eo evadamus, quo evasit ille.

O nos terque quaterque felices, si is tam bonus, tam lætus, tam beatus singulis obtigerit vitæ exitus!

DIXI.